



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. IX. Professores scientiarum in honore habendos esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

nentur. In Theologia legetur vetus & nouum Testamentum, & doctrina scholastica D. Thom. & in ea, quam positiuam vocant, eliguntur ij auctores, qui ad scopum nostrum magis conuenire videbuntur.

Quod attinet ad libros humaniorum litterarum Latinos, vel Græcos, abstinere in vniuersitatibus quoque, quemadmodum in Collegiis, quoad eius fieri poterit, ab eis inuenturi prelegendis, in quibus sit aliquid, quod bonis moribus nocere queat; nisi prius à rebus, & verbis inhonestis purgati sint.

Et declaratio. Quamuis liber suspitione mala doctrine vacet, cum tamen suspectus est autor, legi eum non conuenit. Solet enim opus in causa esse, vt qui legit, ad autorem officitur: & auctoritas quam apud ipsum habet in iis, quæ bene dicit, posset postmodum aliquid persuadere ex iis, quæ male dicit. Rarum est etiam aliquid veneni non admisceri in iis, quæ à pectore veneni pleno egrediuntur.

Et de libris humanioris literaturæ sic statuit: Si aliqui omnino purgari non poterunt, quemadmodum Terentius, potius non legantur: ne rerum qualitas animorum puritatem offendat.

§. 20. Neque vero queri hic quisquam potest. Si de rebus obscenis loqui flagitiosum est, cur eloquentiam in illis explicandis delideres? Plurima sane hodie sunt vitiorum in libris irritamenta, & mala studiosius leguntur; hoc ad Rempublicam pertinet, vt quæ monetæ cudendæ leges seueras tueretur, eadem etiam de libris statuatur, nam plus est, animos quam fidem commerciorum corumpi. Documenta quæ doctissimus noster Delrio in facris adagialib⁹ in hanc rem profert, ipsius verbis legi malo. In Ecc. 12. Quod si diuersa & discrepantia disputaueris, & curiositate nimia huc atque illuc animum dedaxeris, etiam in vno libro multi sunt libri. Vnde dictum est, ex multiloquio non effugies peccatum: talibus igitur libris non est finis. Bonum enim & veritas certo fine concluditur: malina vero atque mendacium sine fine sunt: & quanto plus requiruntur, tanto maior eorum series nascitur. Consentium Alcuinus, Liran. Arboreus, & alij, nisi quod hi potissimum intorqueant contra ipsos scriptores, nam

Libri heretici merito à Republica excluduntur.

Mala lectio animæ venenum.

Qui libri fugiendi.

--- tenet insatiabile multos scribendi cacochætes: quod certe strictioribus adhuc legibus par esset coerceri, ne quid non recognitum à censoribus edatur in lucem; & mala manu si quid editum, expurgatur. Catholici pectoris hoc votum est: at Ios. Scaligeri in elencho dictum; Expurgatorios indices habere, Marranorum est: heretico, & à recta fide apostata, digna gnome est.

Alietiam doctrinam Salomonis lectoribus vtilem, & quidem merito, censent. Prudenter Ioan. Terus; Qui ab vno illo libro scriptura sacra discedit, & ad multos illos, hoc est, ad varia hominum commenta se conuertit, is nunquam perueniet ad verum finem, qui Deus est: vel nunquam perueniet ad veram scientiam. Sicut Paulus ait; semper descendes, nunquam ad scientiam veritatis pertingunt, qui omni vento doctrina mouentur. Sicut igitur, non temere quæuis esculenta, citra delectum, palato admittimus, nisi antea simus per omnia certi: sic quoque, imo multo diligentius curandum est, ne quaslibet quorumlibet nugæ tuæ lectione digneris. Primum enim illud tantum corporis periculo agitur: alterum vero istud animæ. Sic ille, qui prior Olympiodorus, enumerat genera voluminum, à quibus nos arceat Salomon; Nempe 1. gentium volumina & monumenta, qui scilicet alter alterius euertunt & impugnant sententias, semperque inter se grauissimum bellum gerunt, 2. hereticorum inuicem discordantium libros, 3. recentia Iudeorum volumina & secundaria, (hoc est, Deuterotica Thalmudistarum) quæ infinita sunt prope, & fabulis conferta. Dum enim scripturas nouis quibusdam figuris interpretari student, in ridiculis fabulis & genealogias conuersi sunt, & traditiones ediderunt à sententia scriptoris longe aberrantes: de his vltimis lector adire poterit Nicolai Serarij nostri commentarium de Rabbini: de hereticis res nota & expedita, & Ecclesiæ calculo scilicet pro-

bata; de gentium libris, non aque moderatio in his & delectus, non penitus fuga consiluitur: dixi fuisse in præfatione Tragicæ syntagmatis ad æterna dignum memoria Launum Torrentium, patria mea tum Episcopum.

Addo dumtaxat eruditi & ppi patris sententiam: Iisidorus is est Pelusiota, lib. 2. epist. 3. ad Timotheum; quem excitans ad sacra scripturæ studium, commemorata eius dignitate, vtilitate, dulcedine, concludit; ex secularis sapientia externa eruditione tantum nobis instar apicula colligendum, quantum ad nostram philosophiam conducit: reliquum valere iubendum, ὅσον μὲν ἐν γρηγορίῳ εἰς τὴν κατὰ φιλοσοφίαν ἐκ τῆς ἐξωδὲν παιδείας, ὅπως ἡ μέλιτα δὲ τῆς εὐσεβείας, τὸ δὲ οὐκ ἔστιν ἀπὸν χρίσιν ἐα. Finem facio cum Quintilianii monito lib. 10. institutionum oratoriarum cap. 1. Optimis assuescendum, & multa magis, quam multorum lectione, formanda mens, & ducendus est color.

REGVLA XIII.

§. 21. Nec ad publica spectacula, comædias, ludos, neque supplicia reorum eant, neque personam vllam in externorum scenis agant nisi data prius à magistro, vel à præficio Gymnasij potestate.

De spectaculis libro tertio dixi, quæ si quis legere voluerit, suo hanc legem suffragio probabit.

REGVLA XIV.

§. 22. Sincerus animus, purumque conseruare ac diuini legibus summa diligentia obtemperantur: Deo vero ac sanctissima virgini Deipara, ceterisque sanctis persepe, atque ex animo se commendent. Angelorum opem assidue, præcipue vero angeli custodis implorant. Modestiam tum alibi semper, tum in templo, atque in schola potissimum seruent.

REGVLA XV.

§. 23. In rebus denique atque actionibus omnibus se gerant; vt facile quibus intelligat, eos non minus virtutum vitæque integritatis esse, quam literarum doctrinæ studiosos.

Hæc igitur non modo suæ salutis gratia, verum etiam scholarum, & academiæ honori consulentes, magno studio curabunt. De pietate, & virtutum studio libris duobus iam egi, quæ tamen studiosis literarum, vtpote nobilioribus Christianæ iuuentutis membris, potissimum commendo.

CAPVT IX.

Professores scientiarum in honore habendos esse.

§. 1. PRÆCEPTVM de honorandis parentibus primum est in promissione, præmium illius obsequantia, est longæuitas. In partem parentum veniunt animorum formatores, eruditionis fontes, & sapientiæ, virtutumque clarissimi auctores, parentum igitur honorem illi quoque merentur. Nec Alexander minus se Aristoteli, quam Philippo, imo amplius debere, & agnouit, & regia voce professus est. Quod à Philippo vt viueret, ab Aristotele, vt bene viueret, accepisset. Tota res hîc paucis defini potest.

§. 2. Professores publico commodo, diuinæque gloriæ immensos quos sustinent, labores consecrare debent, non vitæ mollis, & quietæ delinimenta, non honorum vana querere, hoc enim cum in omni munere turpe sit, in sapientiæ candidato sane est turpissimum. Quis enim ferat pulcherrimarum, abditissimarumque rerum, laboriosissimam cognitionem, ipsiusque doctrinam virtutis rebus fædissimis, atque inanissimis seruire? Non debent à fine, optimoque excidere illi, qui ad finem, optimumque alios deducunt.

§. 3. Præceptores honorare debent, non modo discipuli, sed eorum quoque parentes, & Reipublica. Parentes quidem, quia eos, quasi alios patres

Spectacula morum venena.

Sapientia diuina paritate gaudeat.

Professores vt parentum honorandi.

Professor Deo, & hominibus militat.

Eruditionem volupratibus seruare cōtra naturam est.

Præceptor pro alieno filio rationes.

Pater con-
temptum
praeceptoris
quem filiū
docuit, in se
experitur.

Etiam im-
perator
præcepto-
rem hono-
rare tene-
tur.

Princeps
professori-
bus honorẽ
tribuere
debet.

*Privatim
suo magi-
stro etiam
rex hono-
rem debet.*

Sine in ho-
norandis
præptori-
bus pene su-
perstitiosi.

rentes filii delegerunt. Nec minus de institutione discipulorum, rationem Deo reddere coguntur, quam de educatione parentes. Deposita ergo animarum apud eos resident, & vigilant, pro alia rationem reddituri. Qua in causa, quorundam parentum superba est ingratitudo, & in magistros contumeliosa; dum filiorum, vel domesticorum pædagogos, vel publicos professores contemptui habent, docent enim & filios contra præceptores insurgere, quos perniciofa opinione imbuunt. Atque eo tandem recidit, miseræ domus calamitas, vt postquam filius magistrum accusauit, pater creditur, mater damnatur, illo exemplo parentes petantur, neque enim parentum obseruans est, qui iniurioso pede in magistrum proruit. Nec dignus est obediens filio pater, quem docuit erga magistrum esse ingratum. Nullum ex omnibus, qui sele magistris, disciplinaeque contemptores opposuerunt, noui, de quo non mater plorauerit. Inhinge exemplum honorandi magistri Optimus Imperator Theodosius nobis proponitur, de quo Nicephor. libr. 17. cap. 23. *Sub idem tempus, imperator liberis suis virtutis magistrum præficere volens, Arsenio illi, cuius gloria terram sub sole peruagata est, inuento, eos commisit: quibus ille susceptis quousq; disciplina omni præceptoris, tum liberali educatione patris illis loco fuit. Imperator enim illum, ne quem ex imperij sublimitate conciperet metum, sed illis potius vt seruus vteretur, admonuerat. Tantum vero vt id ille fecerit abest, vt insigni modestia, & moderatione diuersum potius fecerit. Et quum derepente Theodosius, ad eos aliquando venisset, pueros quidem cum splendore magnifico confidentes, Arsenium autem, inter docendum eis assentem reperit. Qua de causa Imperator indignatus, quum illis insignibus principalibus nudauit, tum sempiterna memoria dignum, & vere imperiale illud verbum eis proloquitur: Si tales se præbituri essent, vt mores vitæque suam ad disciplinam, & leges Dei componerent, propensum & illum fore, vt eis imperium in manus tradat, ad ciuium & subditorum commodum & vtilitatem accommodat: sin minus, conducibilis eis esse dixit, vt sic priuati vitæ exigenter, quam doctrina nulla, cum periculo imperarent.*

Publico etiam honore eos prosequi princeps, & Respublica tenetur; Nam eos Deus ipse honoratos voluit. *Qui docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamenti, & qui ad usitiam eruditi multos, quasi stelle in perpetuas aeternitates.* Deinde in honorifica, splendidaque functione versantur, in artibus liberalibus, philosophia, medicina, iuriprudentia, Theologia docenda, si praeclarissimas igitur, vtilissimas, ac plane necessarias res docent, si ipsos reges, ipsos gubernatores instituunt, non potest eos in honoratos sinere respublica, nisi ipsius recti, & honesti, sit vel inscia, vel contemptrix. Ilocrates Epistola, ad principem Mityleneum, excelsio, hoc est, suo loco professores doctos collocat. Primo quidem magni faciendos esse ait, bonos, & iustos Rerum publicarum gubernatores; proximum dignitatis locum tribuendum esse eruditis, qui civitatis ornamento, auxilioque esse possunt.

§. 4. Hac lege etiam principes, atque magnates, etiam reges priuatim constringuntur. Neque enim vlla regui maiestas efficit, ne parentibus, & magistris honor deferatur. Lex enim naturæ est, & tabulis Moysici iterum inculcata, vt honorentur parentes, & nomine parentum intelliguntur magistratus, & magistris etiam, non modo qui genuerunt. Ita rem habere docent Barbaræ nationes, quæ supra quam dici potest, præceptores venerantur, *Magistros*, (Sinxæ,) inquit Nicolaus Trigautius lib. i. c. 8. omnino religiosius, quam nostri, venerantur, ac tamen si alter alteri per vnu diem se se pro discipulo subiecerit in qualibet scientia vel arte, per vitam deinceps viuensam, cum

Honorabit igitur præceptores etiam princeps, audiendo, aditus faciles concedendo, postulatis æquis annuendo, reos cum sine damno publicæ quietis fieri potest, illi donando.

Tanto sane maiores gratias, magistro fideli princeps debet, quanto maior est sollicitudo eius, qui principem, quam qui priuatum instituit. Cum enim vtrobique par sit docentis molestia, illam tamen maiore fastidio, liberorum potentium fastus onerat, magno enim periculo, magnos labores subit, qui dominum suum docet.

§. 5. Qui minores magistratus funguntur in Republica, mirari non debent; si doctores publicos, sibi interdum anteponi animaduertant. Quamvis enim potestate illi præditi sint, maior tamen honor, virtuti, & eruditioni frequenter impenditur quam magistratui. Quia maior est eius excellentia, quam potestati, quæ sub alienis auspiciis certa lege regnat. Deinde, ut recte partem Reipublicæ administrent, hoc ipsum à magistris, & doctoribus habent, nec inferiore loco ponendi, qui gubernandi scientiam docent, quam illi, qui illa videntur. Tercio, quia vltimo tandem sacraparum, & prætorum acta, à doctis examinantur, atque eorum iudicio statuitur. Iudicium ergo iudices illi sunt, nam vel docti esse ipsi iudices debent, vel de doctorum sententia iudicare. Olim ad magistratus, & legum interpretationem, tribuna quoque non facile admittebantur, nisi qui testimonia eruditionis, & codicillos ab Academicis adferrent. Iudicare enim regium est, quod officium imperitis, sine scelere, committere reges non possunt. Nam si is quem rebus præficiunt, quem controversias finire iusserunt, alio præside indiget, si ab alio iudice sententia dictata accipere cogitur, nonne dignum est, ut honorem habeat auctori suo? Ut eum sine quo locum tueri suum non potest, quem fulcrum habet suæ dignitatis, honoret?

§. 6. Variis, & magnis honoribus disciplinarum doctores olim Respublicæ, regesque profecuti sunt. Quæ vero professoribus artium, præmia perfolui solita sunt, hæc numerantur.

Primum & communissimum est, vt honorarium de publico constituitur; ne egeant illi, qui sunt veluti patres patriæ, vnde omnes habent, vt bene sapiant, bene viuant. Specimen est florentis Reipublicæ, vt disciplinarum professoribus, præmia opulenta pendantur. Quæ quidem triplicia sunt. Quidam enim priuatim libi magistros conducunt, vt nunc frequens est in aulis magnatum; & *pedagogorum cura*: ita necesse est fieri apud Sinas, quorum literæ, & characteres eam habent rationem, vt ab vno, eodem tempore, vix doceri plures possint, vt refert lib. 1. Nicolaus Trigautius. Alia sunt stipendia, quæ publico professori singuli conferunt, quæ consuetudo, tempore Augustini, Romæ fuit; nam ipse discipulorum fraudem detestatur, quæ præceptores mercede pacta fraudabant. Non noua tamen, sed vlitata iam olim fraus erat; clamat Satyrus:

Scire volunt omnes, mercedem solvere nemo.

Tertium genus est honoratissimum, & in Republica bene constituta ordinarie decretum, vt ex ararum professoribus soluatur; nam sic optime pauperum studiis consulitur, & maior est docentis libertas, vt cuius fortunæ à fraude discipulorum non dependeat. Nam illud Prodicia sapientis, qui nullum gratuito docebat: ἡ δὲ χάρις ἡ πόσις, διδδὲς πρὸ ἀπολαύσεως μάστιγας τῶν μαθητῶν, dans aliquid, accipere, vt pauperibus onerosum, ita

*Ardua pro-
uincia prin-
cipis filium
docere.*

Prætor de-
feret inter-
dum docto-
ri, & sena-
tor.

Prætorum
iudices sunt
doctores.

Olim honor
magnus e-
ruditioni
fuit.

Honorariū
publicum
decretū do-
ctoribus.

Omnis bene
constituta
respublica
salariū pro-
fessoribus
constituit.

probrosam sapientiae fuit, cum cupiditas notata est. Leges tamen civiles iubent ut pro suo pupillo tutor mercedes, non quas minimas poterit, sed pro patrimonij facultate, & dignitate natalium persolvat. Merito sane de Evangelio, vivit Apostolorum senatus, & de altari sacerdotes; cur non & mythen suum, ingenuae alant artes?

Honorificum
est artibus
publice pro-
fessorem ali.

Res publica igitur sapientiae studiis consulat, neque enim recte Protagoram defendit Philostratus, quod ideo mercede doceret, ne vilis eruditio haberetur, quae sumptu nullo daretur, ne rerum maximarum facilitas contemptui pateret. Nam si priuatas impensas, sumptus publicis anteuertat, maior auctoritas docenti conciliatur, cum non modo impendiis, sed etiam approbatione magistratus, omnium studia honorantur, & sustentantur.

Iustinianus
artes sustu-
lit.

Recte itaque Augustus, quamvis absque sua licentia salarium ex aulario tribuere vetuerit, ob liberalem tamen artem permittit, neque enim committere in sapientiam voluit, ut qui ipse a puero artes eas impense coluerit, ut qui in castris diebus singulis declamando, legendoque sese exercuerit. Vespasianus centena festeria Rhetoribus constituit, Antoninus decem millia drachmarum, quae pessime sustulit Iustinianus, nam stipendia liberalium artium, in omnibus urbibus sustulit, & cessantibus scholis rusticitatem, & barbariem induxit, ut docet Zonaras. Nec defendi potest, quod leges in fauorem liberalium artium sanxerit, cum eas toties immutaret, & ad sua commoda detorqueret.

Multo generosius rex Barbarus, sed iam Romae dominus, senatui scripsit: Cassiodorus lib. 9. Athalaricum ita scripsisse refert. Filiorum causas iure ad patrum cognoscimus remississe personas: ut ipsi de illorum proventu debeant cogitare, quorum interest studia Romana perspicere. Neque enim credendum est, vos inde posse minus esse sollicitos, unde & generi vestro crescit ornatus, & coetui prouenit assidua lectione consilium. Nuper siquidem ut est de vobis cura nostra sollicita, quorundam susurrante cognouimus, doctores eloquentiae Romanae, laboris sui constituta praemia non habere, & aliquorum nundinatione fieri, ut scholarum magistris deputata summa, videatur imminui. Quapropter cum manifestum sit, praemium artes nutrire, nefas iudicauimus doctoribus adolescentium aliquid subtrahi, qui sunt potius ad gloriosa studia, per commodorum augmenta prouocandi.

Scientia omnes hominum opes superat.

§. 7. Nunquam illa stipendia nimia sunt. Scientia Philosophiae, Medicinae, Iuris, Theologiae, nulla vnquam aequali remuneratione pensantur. Etiam si regnis, & prouinciis earum professores ornentur. Nero, magistro ingentes opes vltro congeffit. Tu, inquit ipse apud Tacit. ann. 14. gratiam immensam, innumeram pecuniam dedisti: adeo ut plerumque intra me ipse voluam, ubi est animus ille modicus contentus? Tales hortos instruit, & per haec suburbana incedit, & tantis agrorum spatiis, & tam lato fenore exuberat?

Seneca opes.

Non potuerunt tanta diuitiae, munificentia prodigi principis accumulata, non mouere inuidiam, & obreftationem. Calumniatores, inquit, idem Tacitus, variis criminationibus Senecam adoruntur, tanquam ingentes, & priuatum supra modum emittas opes, adhuc augeret: quodque studia ciuium in se verteret: hortorum quoque aménitate, & villarum magnificencia, quasi principem supergrederetur.

Quantum vero Seneca dedit Nero? lib. 13. Tac. Quae sapientia, quibus philosophorum praeceptis, intra quadriennium regia amicitiae, ter milles HSS. parauisset? Roma testamenta, & orbos, velut indagine eius capi: Italiae & prouincias, immenso fenore hauriri.

Nolim hunc luxum, nec Senecam excuso, nec tamen miror, cum histiones, & scenici maiora profederint, cum Narcissus & Felix, & eiusmodi portenta, regias opes flagitiosis ministeriis acquilue-

rint. Nostris quoque temporibus, viros doctos, magnis stipendiis illectos meminimus.

Munificentiam illam etiam Persae, Martium genus, usurparunt, Magorū praefecto in singulos menses, quatuor auri libras persoluebant, Abdias Babylon. lib. 6. Quam regia Epistola Artaxerxis ad Hytstanum Helleponti praefectum? Hippocratis Medici Aesculapio prognati, ad me artis fama peruenit, da igitur operam, ut aurum illi tribuas, quantum vult, aliaque quorum indiget, & eum ad me mitte, erit enim par honore, summus in Persia viris: Et si quis in Europa fuerit vir clarus, hunc amicum domui nostrae redde, minime parcens pecunia, viri enim quanquam potentes, haud facile inueniunt, quod honeste cupiunt. Vale.

Persae in doctos munifici.

§. 8. Alterum honoris genus quod eos principes, vel ipsi adire, atque audire, vel magna honoris significatione & humani accerere solerent. Superfuit apud Laert. lib. 9. literae Darii ad Heraclitum humaniores, quam pro fastu barbaro. Rex Darius auditor tuus esse cupit, particepsque Graeca eruditionis fieri: Venas igitur statim ad conspectum meum, ac regiam domum. Apud me enim aderit tibi omnis honor, priuatusque omnis, quotidieque sollicita obseruatio, & grata collocutio, vritaque tuis moribus probabilis.

Dionysius immanis, & superbus tyrannus, vittatae naue Platonem vocauit, albisque quadrigis, venientem in littore excepit. Non eruditionis, aut virtutis aestimatione, sed quod opinionem ex philosophi familiaritate conciliare, & spem mitioris regni, praebere subditis studeret.

Dionysius Platonem coluit.

Magnus Pompeius quamvis illa humanitate non clarior, certe laudatior fuit, quam tribus ex totidem orbis partibus triumphis.

Rhodum enim pertransiens ex Asia, omnes bonarum artium professores audiuit, qui cum ipsi cumulatissime satisfecerant, singulis auri talentum obtulit: Voluit autem Possidonium nobilissimum Philosophum visere, Cic. 2. Tuscul. Quem ut vidisset, & salutauisset, honorifici quoque verbis prosecutus esset, moleste se dixit ferre, quod eum non posset audire. At ille, tu vero, inquit, potes, nec committam, dolor corporis efficiat, ut frustra tantus vir ad me venerit. Itaque narrabat, eum graueret, & copiose de hoc ipso, Nihil esse bonum, nisi quod honestum esset, cubantem disputasse.

Pompeius omnes superauit.

Nec modo adiit, sed fasces laureatos, & victricia insignia illi submisit, nec ianuam viri eruditi, quasi imperio suo sacratiorum, a liore pullari voluit. Mireris hoc in Pompeio, quod philosopho se submisit, quem patria non nisi morte, priuatum reddere potuit; Sensit sine dubio Pompeius, aliquid in Possidonio bonum, sua maiestate venerabilius, & consensit laudantium multitudine. Id verbis expressit Antigonus Epist. ad Zenonem, ut est apud Laert. lib. 7. Ego fortuna me quidem, & gloria vitam tuam antequam existimo: ceterum disciplinis, studiisque liberalibus, & perfecta felicitate, quam tu possides, longe abs te praecelli sentio. Quocirca te orare statui, ut ad me profisciscaris, id mihi persuadens te preces meas minime irritas fieri passurum. Tu igitur modis omnibus enitere, ut tuo contubernio fruamur, certo sciens, non mei tantum, sed omnium Macedonum eruditorem fore. Nam qui Macedonia regem erudit, eum & subditos quoque instruere ad fortitudinem, & probitatem certum est. Nam cuius modi fuerit dux, tales ut plurimum subditos fieri necesse est.

§. 9. Tertio loco honor ille tribui magistris solet, & professoribus, ut illi, qui in publicis functionibus constituti sunt, sociari sibi illos non modo optent, sed legibus etiam teneantur. Iubentur autem praedices eos honorificencia, & praemiorum spe prouocare, quorum sibi prudentiam necessariam arbitrantur. Contemnere non possunt eos, quorum sapientiam sibi necessariam vident; nam reuera natura sic comparatum est, ut qui valet in intellectu, & prudentia, imperet, qui inferior est, pateat. Tanti hoc veteres aestima-

Sociantur magistratibus eruditi.

Consuli a
magistratu
magne di-
gnitatis est.

Patria sa-
luti sape do-
cti fuerunt.

Privatum,
& publice
in suos fere
gratiprae-
pores.

Statuis ho-
norata eru-
ditio.

Hostes ami-
ci sunt eorū
qui docti
sunt, inter
hostes.

aestimant, ut Caelium iureconsultum adeo super-
bum Cicero iudicet, ut a Caesare consuli malit, quam
inaurari; qui enim consilium, alienam praestantiam a-
gnoscat, qui inaurat, auaritiam ferulem exprobat.
Hinc & factum ut Persarum reges, aut eruditi essent,
aut ab eruditibus, quos Magos vocarunt, regeren-
tur.

§. 10. In gratiam doctorum publicorum, etiam
populis, urbibusque multa concessa sunt immunita-
tes, vel donata delicta. Ptolemaeus humanissime fe-
ruaginta interpretes inuitans, & excipiens, miracu-
lo concordium versionum attonitus, Iudaeos ingen-
tibus beneficiis affecit. Sulla Athenis, propter mor-
tuos pepercit: Indignum enim homine existimauit,
domicilium humanitatis exscindere. Alexander Ar-
istoteli, stagiram suam solo aequatam, exstruxit.
Lampacum Anaximeni donauit, cum enim eam ob-
sideret, videretque eum egressum deprecatorem fu-
turum, iureiurando asseruit, se non praestitutum quod
peteret: Sed ille, peto, inquit, ut Lampacum deleas.
In quo quid potius mirer nescio, solertiamne Anaxi-
menis, qui regem contra votum suum iurare coegit;
an animum Alexandri, qui putaret preces viri docti,
non nisi iuramento opposito, retundi posse; quique
plus vnus preces philosophi, quam hostium mentia,
atque arma formidaret. Alexandrum imitatus est Au-
gustus, qui Alexandrinis propter Arcum in philoso-
phia praepceptorem ignouit. Quantum ab illo diuer-
sus, qui Senecam vitis suis grauem occidit?

§. 11. Civilibus honoribus multos condecoratos,
iudicio principum constat, sola eruditionis praeoga-
ticia. Pharaon Iosephum, Darius Daniele, Gratia-
nus Aufonium, Antoninus Proculum, & si vetera
placent Achilles Phoenicem praepceptorem extulit,
dignumque iudicauit qui secum regnaret.

Ἰσὼν ἐμὴ βασιλεὺς, καὶ ἡμῖν μετὸ πῦρ.
Pari mecum iure regna, & dimidium honoris accipe.

Fuit ille priuatus magnatum, in suos praepceptores a-
mor; Imperatores alii, ut studia excitarent, in omnes
munifici fuerunt. Theodosius, & Valentinianus
magistros, quorum opera probata fuit, illis qui sunt
ex vicaria dignitate connumerarunt. Vicariorum
dignitas comitum, & ducum par fuit: Comitum
etiam eadem illis leges permittunt. S. Basilus ma-
gnopere in hoc incubuit, ut bonis artibus, moribusque,
filii Cappadocum instituerentur, eosque cum in eru-
ditione profecissent, enixe ad magnos honores, cu-
rabat euehendo. Constantinus quoque ingenia,
largitate, & honorificentia excitauit.

§. 12. Statuas etiam, & columnas, imo aras ali-
quando eruditioni antiquitas erexit. Romani Proe-
resio statuam locarunt, Regina urbium eloquentia regi,
ut Eunap. refert, sed nimis sane ambitiose. Melius
Romani iidem Pythagorae, tanquam sapientissimo
ex oraculo statuam fecerunt, ut Plutarch. in Numa
refert. Nam quod idem praestiterunt Alcibiadi, tan-
quam fortissimo, grauiterr errorum. Mithridates rex
Ponti, meliore iure hoc praestitit Platoni. Verum
statuarum honor, pluribus deinde communicatus
est, cum Orbilius Pupillus marmorea donatus fue-
rit, ut auctor est Suetonius. Alexander Ciceronis,
& Virgilii statuas in larario consecravit, ut refert
Lampridius. Vniuersa Graecia Gorgiae Leontino in
ade Apollinis Delphici, auream statuam posuit, cae-
teris aurata duntaxat honoratis. Val. lib. 8. 16.

Pythagoram Crotoniata virum magnis honori-
bus affecerunt, mortui domum in templum Cereris
consecrarunt, quod indignum putarent, sub illo re-
cto habitare homines dissimiles viro tam sapienti.
Magis miror Macedones, Eurypidi monumentum
exstruxisse, cum literis minus essent culti. Spartani
etiam contra morem suum egerunt, poetices, & phi-

losophiae inimici, cum captis Thebis, Pindari ad-
ibus inscripserunt:

Τὸ μυσσὸν τὸν ἑῶν μὴ καίεται.
Poeta domum ne incendite.

Magnus & doctus Aragoniae rex Alphonsus, Cice-
ronis etiam villam parcendum ratus est, in Caietana
enim obsidione saxa, & ligna pro tormentis, machi-
nisque peti prohibuit, asseruitque malle se nunquam
tormentis uti, quam tanti oratoris praedium violare.
Causa cur tantis illis honor deferatur, est nota, quam
& Sigismundus quibusdam reddidit; Indignantibus
enim quod homines doctos altius prouehere vide-
retur, respondit; se eos merito amare, quos praecellere na-
tura voluit.

Quemadmodum igitur stulte principes faciunt,
qui consiliarios prudentes, & gnauos facile dimittunt,
vel tenuitate stipendii abscedere cogunt; quia
illi cupide mox a maioribus principibus accersuntur,
ita & in doctorum virorum neglectu peccant,
quos tum primum, cum dedecore prouinciae suae
abuisse intelligunt; cum apud alios in dignationem
venisse illis refertur. Si enim artibus honestis, (mo-
net Iuu. Satyr. 3.)

Nullus in vrbe locus, nulla emolumenta laborum,
Res hodie minor est, heri quam fuit, atque eadem cras
Deteret exiguis aliquid. Proponimus illuc
Ire, fatigatas ubi Daedalus exiit alas.

Nam reuera ut ille nouerat, & inculcat Sat. 7.

Poenituit multos vana, sterilique cathedra,
Sicut Thrasy Machi probat exitus, atque secundi
Carinatis, & hunc inopem vidistis Athene,
Nil praeter gelidas ausae conferre cicutas.

Honorem ergo principes, Res publica, parentes, atque
in primis discipuli, suis praepceptoribus debent, quem
cum magnum impenderint, nunquam meritis aequa-
lem dabunt: manebit in tabulis maior summa debi-
torum, quae nunquam nisi agnoscendo, & amando
dispungeretur.

Testis mihi est Valentiniani filius Gratianus, qui
Aufonio praepceptori in haec verba scripsit. Cum de
Cos. in annum creandis mecum solus volutarem, ut me nosti,
atque ut facere debui, & te velle scivi, consilium meum ad
Deum retuli. Eius auctoritati obsecutus, te consulem designa-
ui, declaravi, & priorem nuncupavi. Trabeam palmatam
tibi misi, in qua D. Constantinus pater noster intextus est.
Solui quod debui, & adhuc debeo quod solui.

CAPVT X.

Paenis, & plagis moderatis iuuentutem in
officio continendam esse.

§. 1. NE haec quidem cura a Republica aliena est.
Mollem, & delicatam educationem esse
matrem insolentiae, radicem nequitiae, superbiae, &
iracundiae fomentum alio loco docui, nunc disputo,
an omnis punitio intra verborum acrimoniam, ad
sobrietatem vitae, & labores aetatis iuuenili conue-
nientes consistere debeat, an vero verberum, &
flagellorum metu, impetus improvidorum animo-
rum sint coercendi?

Magnos habet aetas illa, quae sui arbitra nondum
esse potest, pro immunitate corporis patronos, & Gre-
cis Plutarchum, ex Latinis Quintilianum. Maior
auctoritas Plutarcho, expertae sapientiae viro; nam
Quintilianum discipulorum proteruita, & dissolu-
tio, non absque nota infamiae refutauit. Argumenta
tamen proponere solent. Nam primo, vapulare
adolecentem deformis est. Quia vilia ingenia, &
proiecta pigritiae flagris ad officium compelluntur.
Generosus equus freno indiget, asinorum tarditas
nec calcaribus, nec fustibus in cursum concitatur.

Natura
praecellunt
docti, ideo
honor illis
debetur, qui
est testimo-
nium excel-
lentiae.

Quos pra-
sentes con-
temnunt,
absentes de-
siderant.

Plutar-
chus, &
Quintilia-
nus plagis
iuuentutem
exemerunt.

Causa cur
blande sine
educandi
Con-
adolefcentes.